



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Septuagesimum primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A HENRICVS quidam nimio vino obrutus, cum alijs corrumpi cœpit, & probra iactare. A verbis ad enses ventum est. Interim ille apud talum in neruo dirè vulneratur, crureque ex eo vulnere contracto, ambulandi facultate destituitur. Quæ res ad eam inopiam illum adduxit, vt scipionibus innixus, stipem quotidie ostiatim emendicare compulsus sit. Vt verò comperit multos quotidie curari à beato ENGELBERTO, ad locum cædis eius profectus est: nec tamen tunc curatus est: sed cum spem non abijceret, & tertio non sine multa difficultate eo accessisset, post preces supplices DEO & beato ENGELBERTO oblatas, integrè curatus est.

Contractus
fit sanus.

B Notatio ad Caput Septuagesimum
primum.

MANUSCRIPT. Henricum hunc facit Mercenarium ex villa Rassengen, quæ Dominium est in partibus Flandriæ; nisi malis legere Rattingen municipium terræ Montensis.

Rassengen

Ratingen.

C Caput Septuagesimum secundum.

De Hildegunde ab inflatione corporis liberata.

NEC solùm ijs locis, quibus necatus & sepultus est martyr noster, signis & miraculis clarescere voluit, sed quanti apud Deum sit meriti, etiam in remotis locis, non rarò ostendit. In vrbe quadam faber vxorem habuit toto corpore adeò inflatam, vt hydropsi laborare putaretur. Sesquiannum illo incommodo ita male affecta fuit, vt omnis edendi atque bibendi appetitus planè prostratus in ea esset. Nocte quadam audiuit vocem in somnis: Si locum, vbi fusus est sanguis beati martyris ENGELBERTI, visitaueris, eius meritis mox curaberis. Indicat marito, quid audierit. Ille summo mane cum ea iter ingreditur: quod cum necdum medium confecissent, mulier planè incolumem se sensit. Id vbi maritus comperit, non ingratus tanto beneficio, pergit cum illa, venientesque in Giuelsberg, martyris gloriam prædicant, & miraculum diuulgant, hilariterque annum centum promittunt.

Mulier
morbidam
sanatur.

D Notatio ad Caput Septuagesimum secundum.

Mm 3

Fabrum